



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Originvm Monasticarvm Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

Cap. XXVII. Origo fratrum seu Clericorum vitæ communis, qui celeberrimas scholas in Belgio & Germania habuerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11249**

## CAPVT XXVII.

*Origo Fratrum seu Clericorum vitæ communis, qui celeberrimas scholas in Belgio & Germania habuerunt.*

**G**erardus Magnus Dauentriæ ad Isalam fl. in Germania nostra inferiore natus, Fratrum seu Clericorum vitæ communis auctor atque institutor, an. 1376. in Domino obdormiuit. Fuerat is olim Ultraiectensis, & Aquigranensis Canonicus: quibus dignitatibus quanquam opimis, cum maximâ patrimonij parte, postmodum spontè relictis, totum se Deo proximorumque salutî procurandæ tradidit. Gerardus, inquit Massæus, cum esset Parisijs doctissimus, relictâ Sorbonâ, Dauentriam redijt, vnde erat oriundus. Fratres illic instituit, qui scholas tenerent, & non tantum litteras; sed mores quoque discipulos suos, & bene viuere edocerent. Viuunt autem in communi, secundum instituta primitiuæ Ecclesiæ, siue proprio, siue mendicitate, diocesanis suis simpliciter subditi. Quò autem tunc ferius sese gesserunt, eò violentius antiquus hostis se illis opposuit: suscitauit illis detractores multos: quorum vnus in generali Concilio Constantiæ celebrato ausus est dicere eos esse ex illis, quos dudum Ro-

1384

E

mani

mani Pontifices, Bonifacius, Clemens, & Ioannes exterminauerant. Cui calumniæ viriliter restitit *Ioannes Gerson* Cancellarius Parisiensis, tunc in ipso Concilio præfens, eoque perpulit hominem, vt ipse cum libello famoso, quem Senatui obtulerat, igni adiudicaretur. Sed fratres qui aderant, aduoluti iudicij pedibus, precati sunt veniam reo, vt liber tantum incenderetur non auctor. Annuitur precibus supplicantium : & incenso volumine iussus est auctor exire prouincia, nec amplius innocentes infamare. Pro quibus in eodem Concilio præfatus Gerson pulcherrimum tractatum edidit. Eisdem dictum Concilium, Martino Quinto præfidente, plurimum corroborauit, modumque viuendi comprobans, hortabatur viriliter agere, scholas erigere, ad pietatem discipulos instituere, quibus Ecclesia Dei fulciretur, & quibus vel maximè tunc indigebat. Vidi ego ante annos multos præter dictum volumen Gersonis in Buscoducis, etiam apud Bruxellam multas Eugenij, vt & Pij II. litteras perpulchra priuilegia ipsis fratribus indulta continentes. Sic ferè Massæus : alibi tamen legi istud fratrum in communi sub regula S. Augustini viuentium institutum, anno 1376. à Gregorio XI. Pont. Max. fuisse adprobatum. Id discretè in procemio officij Ecclesiastici Eremitarum Augustinianorum, Venetijs, Louanij, & alibi excusi, (vbi ordines vniuersi D. Augustini signis militates recēsentur) his verbis exprimitur.

tur: Ordo vitæ Cōmunis à Gerardo Teutonico institutus, & à Gregor. XI. approbatus an. 1376. sub regula S. Augustini. Cuius rei (si tamen vera) miror nullam apud Massæum huius instituti sodalem, nec apud Thomam Kempensem fieri mentionem. Ceterū fratres, seu vitæ cōmunis clerici in Germania nostra inferiore primū litteras humaniores excitarunt, & plurimā olim eaq; celeberrima (vt hodie Patres Societatis Iesu) per Galliam Belgicam, Germaniāque gymnasia habuere; in his *Dauentriense, Suollense, Drusoburgense, Ultraiectense, Groningense, & Gaudanū* apud Batauos & Frisios, *Bruxellense, Siluiducense & Mechliniense* in Brabātia, *Gādense & Gerardimontense* in Flādria; *Nouiomagense* in Geldria, *Embricense & Vesaliense* apud Cluuios; *Leodiense* item, *Cameracense, Coloniense*, aliaque alibi. Hodie præter *Siluiducense, Coloniense, Vesaliense* & alia aliquot fratrum domicilia, cætera ferè temporum iniquitate defierunt, aut alijs religiosis hominibus sunt attributa. Fuere aut̄ inter fratres plurimi, cū vitæ sanctitate, tum doctrina illustres, quorū res gestas Thomas Kempensis, ipsorum discipulus, ad posteros trāsmisit. Inter eos qui scriptis sibi famam pepererunt, *Gerardus Sutphanius*, scriptor asceticus, *Christianus Massens* Chronographus, & *Georgius Macropedius*, Comædus ac Philologus, eminent. Ex ipsorū verò scholis plurimi scriptis itidem illustres viri, vt ex *Dauentriēsi Thomæ Kempensis, Alexāder Hegius,*

Gymna-  
sia fra-  
trū vitæ  
commu-  
nis.

Def. *Erasmus Rotterodamus*, & *Ioannes Mellius*, ex *Embricensi*, *Matthias* & *Tilmannus Bredenbachij*, ex *Nouiomagenfi* *Petrus Canisius* & *Busæi* fratres, ex *Ultraiectensi* *Cornelius Valerius*, *Henricus Cuickius*, *Franciscus Haræus* & *Henricus Sedulius*, ex *Vninocibergensi*, *Ioannes Despauterius*, ex *Siluiducensi*, *Ioannes Nemijs*, *Simon Verepeius*, *Christophorus Vladeraccus*, (quorum plerique etiam fratribus in erudienda iuuentute auxilio fuere) alijque prodierunt. Inter fratres porrò, alij *Hieronymiani*, alij *Gregoriani* nuncupabantur, sed quo discrimine, nondum certò comperi.

Supersunt hodieque, vt dixi, fratres vitæ communis *Coloniæ*, *Vesaliæ* & *Silux-Ducis*: quorum *Gymnasia* plerisque locis desierunt, post scholas à *Societate Iesu*, maiore studio atque industriâ, passim institutas.

Ceterùm *Domus fratrum Mechliniensis* & *Gandensis*, ab illorum locorum *Episcopis* in *Seminaria* diocesana sunt conuersa. *Bruxelensis* *Domus* hodie possidetur à monialibus *Sanctæ Claræ*, quas *Vrbaniasticas* vocant. *Domus Leodiensis*, ab *Ernesto Bauaro*, circa annum 1581. tradita est *Patribus Societatis Iesu*.

*Domus Cameracensis* hodie incolitur à monialibus *Premiacensibus*, ordinis sancti *Augustini*.